Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



tus

362

secte nazarenorum quam templum violare conatus est quem et apprehe-
dimus volumus secundum legem nostram iudicare. Cum autem accessisset tribunus lysias
cum vi magna eripuit eum de manibus nostris iubens accusatores eius ad
te venire. a quo potes iudicando de omnibus istis cognoscere. de quibus nos
accusamus eum. Adiecerunt et iudei dicentes hoc ita se habere. Respondit
paulus annuente sibi principe dicendo ex multis annis esse te iudicem
genti huic sacrae bono animo pro me satisfaciam potes enim cognoscere
quoniam non plus sunt dies mihi quam duodecim ex quo ascendi adorare in ierusalem
et nec in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem aut concursum facientem
turbae nec in synagogis nec in ciuitate. nec probare possunt de quibus
nunc accusant me. Confiteor autem hoc quod secundum sectam quam dicunt heresim
sic deseruio patrio meo deo credens omnibus quae in lege et prophetis scripta sunt
spem habens in deum quam et ipsi hii expectant resurrectionem futuram iustorum et
iniustorum. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad deum et ad
homines semper. Post annos autem plures eleemosynas factus in gente mea uenit
et oblationes et vota in quibus inuenerunt me purificatum in templo non cum turba
nec cum tumultu. Quidam autem ex asia iudei quos oportebat apud te praesto esse
et accusare si quid haberent adversum me. uel hii ipsi dicant si quid inuenerunt
in me iniquitatis cum starem in concilio nisi de una hac solummodo voce qua clama-
ui inter eos stans. quia de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a uobis.
Distulit autem illos felix certissime sciens de via hac dicens. Cum tribu-
nus lysias descendit audiam vos. Iussit centurioni custodiri
eum et habere requiem neque prohibere de suis ministrare ei. Post aliquot
dies veniens felix cum drusilla uxore sua quae erat iudea vocauit
paulum et audiuit fidem ab eo quae est in christo iesu. Disputante autem illo de
iustitia et castitate et de iudicio futuro tunc tremefactus felix respondit. Quod
nunc attinet vade. tempus autem opportuno accersiam te iterum. et spem habens quia
pecunia daretur a paulo propter quod et accersiens eum loquebatur cum eo. Biennio
autem expleto accepit successorem felix portius festum. Volens autem
gratiam praestare iudeis felix reliquit paulum vinctum.

Festus autem cum venisset in prouinciam post triduum ascendit ierusa-
lem a caesarea. Adierunt eum principes sacerdotum et primi
iudeorum aduersum paulum et rogabant eum postulantes gratiam
aduersum eum ut iuberet perduci eum in ierusalem insidias tendentes
ut eum interficerent in uia. Festus autem respondit seruari paulum